- dum: a) *cum ind. imperf. coniunctum*: 2,14,11; 4,10,33; *cf. H.-Sz. 613* b) *cum coni. imperf.*: 2,26,47; *cf. Verg. georg. 4,457.*
- durare *c. acc. coniunctum* 1,6,11.
- durus *i. q.* amantem spernens: 1,1,10; 1,7,6; 1,16,30; 1,17,16; 2,1,78; 2,22,11. 43.
- ecquid .. an *i. q.* utrum .. an 1,11,1-7; *cf. H.-Sz. 542.*
- eleuare: a) *i. q.* irritum facere 1,8,12 b) *i. q.* leuiorem s. minus carum reddere 2,33,44.
- ellipsis (*animi quadam commotione orta, saepe aposiopesis attingens*): a) *omittitur uerbum agendi*: nec frustra 3,12,37; haec ego 3,24,11; di melius! (*scil. consuluerunt*) 4,6,65; *sim.* 4,8,20; 4,9,13; *cf. H.-Sz. 424* b) *deest infinitiuus apud uerba auxiliaria uelut posse, solere, uelle: quod saepe soles* 1,13,1; *sim.* 1,6,10; *cf. Uhlmann 9; quod nequeas (scil. ferre)* 3,9,5; nil potui 4,8,70, *al.*; *cf. H.-Sz. 422sq.* c) *omittitur uerbum esse: hic ego Pelides eqs.* 2,22,34; non ego tam facilis 2,29,33; quoue pede ingressi (*scil. estis*) 3,1,6; *sim.* sibi (*scil. esse*) 1,8,35; tibi (*scil. esse*) 3,17,27; *cf. in nubes unde .. aqua (scil. fuerit s. uenerit)* 3,5,30 d) *omitt. uerbum dicendi*: 1,5,17; 1,16,45; 2,29,11; 3,3,51; 3,24,11; 4,1,119; 4,9,51. 61; *cf. Hofmann Umg. 169sq.*
- enallage (*saepo metro iuuante posita*): furta pudica tori 2,23,22; pyramidum sumptus ad sidera ducti 3,2,19; librorumque tuos .. sales 3,21,28. *cf. B.-B. 315; Euandri profugae .. boues* 4,1,4; *cf. Bednara ALL 14 (1905) 577, H.-Sz. 160.*

- epanadiplosis: 1,3,25sq. 31sq.; 2,1,51sq.; 2,7,11sq. 17sq.; 2,34,85sq.; 4,1,63sq. 125sq.; *cf. H.-Sz. 811sq.*
- epanastrophe: eheu .. certus eras. certus eras eheu 2,24,36sq.
- et: a) *i. q.* etiam: 2,31,10; 2,32,49; 4,11,74. 101 b) *explicatiue usurp.*: 3,10,4, *al.*
- euphemismus: labi *i. q.* peccare 1,11,15; si quid .. durius inciderit 1,15,28; longas .. Iliadas *i. q.* certamina Veneria 2,1,14; aliquid (ἑρωτικῶς) 2,19,27; 2,22,11; *cf.* 2,4,12; si quid uidisti 2,18,3; quiddam (ἑρωτ.) 2,33,42; mea regna 2,16,28; maxima bella gerit 3,8,32; *uide sub uoce arma; cf. Hey ALL 11 (1898) 515, Hofmann Umg. 144sq.*
- ex *i. q.* ob 2,1,50.
- excutere: excussis .. lumbis 2,16,27 *i. q.* robore uirili exhausto *s. ilibus ruptis.*
- extremus *i. q.* exiguus: pars .. extrema furoris 1,4,1.
- exuuias *i. q.* uictoriae gloria 4,11,43; *cf. Tib. 1,1,54; H.-Sz. 15.*
- facere sermonis cottidiani ratione usurp.: faceret scissas .. genas *i. e.* scinderet genas 2,18,6; turpia cum faceret .. ora (*i. e.* turparet) 2,30,18; fac .. pectora nuda 3,8,8; *cf. Hofmann Umg. 165. 204.*
- fallere *i. q.* expellere 1,3,41.
- fata: a) *i. q.* manes 1,17,11; *uide sub uoce reponere* b) *i. q.* mors 1,19,2.
- fax: faces interdum *i. q.* amoris aestus: 1,13,26; 2,7,8; 4,3,50; 4,4,90; *cf. Hor. carm. 3,9,13, Tib. 2,4,6.*
- femina ui adiectiua usurp.: femina turba 2,31,4.
- ferire: arte ferire 3,3,50 (*uox uulgaris e gladiatorum sermone petita*); ferit 4,5,44; *cf. Ter. Phorm. 47; uide Hofmann Umg. 156, Neumann 67.*
- ferri *i. q.* uagari 2,5,1; 4,7,89.

- ferus *c. abl.*: ferus animis 1,5,12; *cf. ThLL VI 1,606,41-45.*
- feruere: 2,8,32; 2,28,4 (*priscae Latinitatis formae*).
- figura *i. q.* uenustas *s. pulchritudo* 3,24,5.
- figura etymologica (*unum exstat exemplum*): quae fecisti facta 3,25,16; *uide sub uoce annominatio.*
- finis: *masc. gen.* 3,5,37 *femin. gen.* 1,16,21; *cf. Bauer Gl 10 (1920) 122-127.*
- flagrare *c. acc. coniunctum* 1,13,23; *cf. K.-St. I 263.*
- flectere *i. q.* (puellae animus) amori pronom reddere 1,19,24; *cf. Ouid. epist. 4,165, Sen. Phaedr. 229.*
- flere *c. dat. coniunctum*: praesenti flere puellae 1,12,15; desertis .. fleuerat aequoribus 1,15,10; indomito fleuerat Ascanio 1,20,16.
- flexio: *uide sub uoce uerbum.*
- flumen *i. q.* aqua fluens 3,3,15.
- forsitan *duobus locis poeta cum indicatiuo adhibet*: 2,9,22; 2,15,54; *cf. H.-Sz. 334sq.*
- frustra ui principali usurp. (*cf. fraus*): *i. q.* per errorem *s. falso* 2,12,5; *cf. Plaut. Amph. 974.*
- fugere *c. dat. incommodi*: fugient tibi uerba querenti 1,5,17.
- funus: a) *i. q.* mors (funera = mortes) 2,6,16 b) *i. q.* corpus mortuum 1,17,8; *cf. Friedrich Cat. 344; extinctum funus i. q.* combustum mortui corpus 2,13,34; 4,11,3; *cf. ThLL VI 1605, 36-67* c) funera *i. q.* exequiae 1,23,4 *uide sub uoce mors.*
- furor *i. q.* causa furoris *s. irae*: ut tibi sim .. furor 1,18,15; *cf. ThLL VI 1632,80sq., Neumann 70.*
- futurum: a) *forma antiquiorem sermonis usum redolens (fortasse metri causa usurp.)*: lenibunt 3,21,32; *cf. Neue-Wagener III<sup>3</sup> 323, Sommer 527; sed molliet 4,4,62* b) *ubi tempus praesens exspectes*: illa uelit, poterit 4,5,9; *cf. Catull. 64,322; uide etiam sub uoce*

praesens c) *futurum gnomicum*: 1,10,29; 1,11,28; 2,17,2; *cf. H.-Sz. 310* d) *futurum simplex cum fut. exacto coniunctum*: 1,15,29sq.; 2,1,66sq. e) *futurum pro imperatino*: 1,20,51; *cf. H.-Sz. 311*.

*futurum exactum (quod poeta interdum adhibet, quo certius res futuras euenturas affirmet)*: duxerit 1,15,30; uenerit 1,18,14; fuerit 1,19,15; *sim.* 2,30,4; 4,11,85, *al.*

*geminatio*: a) non, non 2,3,27 b) *in dictione animi quodam ardore conspicua*: certus eras; certus eras 2,24,36sq.; *sim.* mors est inhonesta .. mors inhonesta 2,8,27sq.; *cf. H.-Sz. 808sq. et uide etiam sub uoce anaphora*.

*genitiuus: formae*: a) *decl. II: α) sing. in -ii*: imperii, opprobrii; Fabii, Lanuuii *al.* β) *in -i*: Antoni, Deci, Feretri, Mari, Pelusi, Properti, Tati, Tolumni γ) *plur. in -um*: Danaum 3,9,40, *al.*; deum 3,5,39; diuum 4,2,55; Graium 2,6,19; socium 3,7,41; uirum 3,9,32 b) *decl. III: plur. in -um*: parentum 4,8,13; *cf. Sommer 383sq.*; agrestum 3,13,25; amantum 3,16,27; luctantum 3,22,9; silentum 3,12,33; *cf. Neue-Wagener II<sup>3</sup> 139sq.* c) *formae subst. Graecorum*: Myos (3,9,14), Nycteos, Pentheos; Briseidos, Inachidos, Pallados (4,4,45), Thaidos, *al.*; baridos; Cithaeronis, Castoris, Gorgonis, Laomedontis, Palladis (2,28,12; 2,30,18; 3,20,7), Platonis, Teuthrantis; *nota*: Achilli 2,9,13; 4,11,39; *cf. Leumann Kl. Schr. 108-130; de formis Capanei, Persei, Phinei, Promethei uide indicem metrorum sub uoce synizesis praeterea uide sub uoce pronomen*.

*syntactica (rarioris usus exempla)*: a) *gen. partit.*: muneris equid 2,23,8; tantum operis 3,3,4; maris in tantum (*i. q.* in tantum mare) 3,5,11; hoc .. laudis 3,9,59 b) *gen. possess.*: Adraști .. uocalis Arion 2,34,37; lignis funeris (*i. e.* lignis cremando corpori

debitis) 3,15,46; Thais pretiosa Menandri 4,5,43; *cf. H.-Sz. 59sq.* c) *gen. auct.*: praemia sortis (*i. q.* quae sors tua tibi dedit) 4,4,94 d) *gen. definit.*: Permessi flumine 2,10,26, *al. loc. sim.*; longa meae .. tempora noctis 1,3,37; aetatis tempora 1,7,8; *cf.* 1,8,9; 3,20,13; munera uestis 4,4,57 e) *gen. explic. s. epexeg.*: culpa timoris 1,11,20; desidia .. crimen 1,12,1; fortuna procellae 1,17,7; Theseae .. uiae 3,21,24; *cf. H.-Sz. 62* f) *gen. inhaerentiae (uide H.-Sz. 63. 794sq.)*: formosi temporis aetas 1,4,7; litoris ora 1,20,9; fontis .. caput 3,19,6; luci .. antro 4,9,33; *cf. Rothstein II 330* g) *gen. subiect.*: nostri (amore) 1,4,27; *cf. Draeger I<sup>2</sup> 471, K.-St. I 598sq., H.-Sz. 65sq.*; arma .. militiae 1,7,2; Pergama, nomen Homeri 2,1,21; bella fugae 2,1,28 h) *gen. obiect.*: crimen Amoris (*i. e.* causa Amorem criminandi) 1,11,30; Platonis 3,21,25, *al.*; *cf. H.-Sz. 113; huius genitiui uice poeta haud raro adiectiua usurpat uelut*: externo .. in amore 1,3,44; Dardana praeda 1,19,14; Dardanio .. triumpho 2,14,1 i) *gen. qual.*: constantis .. fastus 1,1,3; plebei .. funeris 2,13,24; multi .. odoris 3,13,8; *cf.* 3,18,2; *uide Wölfflin ALL II (1898-1900) 197-211. 469-490, Löfstedt Synt. I<sup>2</sup> 148sq., H.-Sz. 67sq.* j) *gen. cum adiectiuis coniunctus (exempla minus usitata)*: ianua .. nota pudicitiae (*i. e.* ob pudicitiam) 1,16,2; *cf.* Hor. *carm.* 2,2,6; 4,13,21; *uide K.-St. I 445; H.-Sz. 79; Tränkle 69* k) *gen. cum uerbis coniunctus*: fontis egens 4,9,35 (*at abl. legis* 3,20,30); *cf. H.-Sz. 83* l) *gen. exclam.*: foederis heu taciti 4,7,21; *cf.* Plaut. *Most.* 912, *Truc.* 409 *et uide Fedeli 191, H.-Sz. 85* m) *duplices genitiuos legis*: illarum contempti poena doloris 1,13,9; Argynni poena minantis aquae 3,7,22; tantum operis belli 3,11,70; Libyae louis .. antrum 4,1,103; *cf. Neumann 58sq., H.-Sz. 66*.

*genus substantiuorum*: a) *bestiarum*: bos *masc. octies, fem. quinquies*; canis *masc. quinquies, fem. semel* (4,5,73); serpens *masc.*: 4,8,7; sus *fem.*: 4,1,35;



tigris *fem.*: 1,9,19 b) dies *masc.*: 1,14,10; 2,9,20, *al.*; *fem.*: 1,13,25; 2,11,4, *al.*; *cf.* Fraenkel *Kl. Beitr.* I 27-72; finis *masc.*: 3,5,37; *fem.*: 1,22,6; 2,13,35; 4,9,31; *cf.* Neue-Wagener I<sup>3</sup> 978sq., Bauer *Gl* 10 (1920) 122-127; cinis *masc.*; praeterea *masc.*: colus 4,1,72; 4,9,48; *cf.* Prisc. gramm. II 169, 11 K., Neue-Wagener I<sup>3</sup> 1008; onyx 2,13,30; 3,10,22; phaselus 3,21,20; 4,7,59; *fem.*: torquis 4,10,44; *cf.* Neue-Wagener I<sup>3</sup> 998 c) *nominum propr.*: α) *masc.*: Pharus 2,1,30 β) *fem.*: Bosp(h)orus 3,11,68; Aetna 3,2,5; Ossa 2,1,19; *cf.* Rasner 50 γ) *neutr.*: Ilion 3,1,31 (ut Pergama); Misena (*plur.*) 1,11,4; *cf.* Philipp *RE XV* 2 (1932) 2046 δ) *nota*: *fem.*: Dulichia 2,14,4 *uide sub uoce heteroclita.*

gloria *i. q.* cupiditas gloriae *s.* studium laudis 4,10,3.

gradatio (κλιμαξ): *a maiore ad minus* 3,21,25sq.

gratus *i. q.* uenustus 1,13,30; 4,8,30.

grauis *i. q.* somno grauis: oculos . . graues 2,29,16.

habere *i. q.* pati 1,3,40.

haerere: a) *i. q.* capi: 2,3,2; *cf.* Ouid. met. 2,410; *uide Friedrich Cat.* 330 *adn.* 1 b) *i. q.* amore artissime coniunctum esse: haerentes 2,15,25; *cf.* Lucr. 4,1105sq., Ouid. met. 4,184 c) *cum dat. coniunctum*: 1,3,19sq.

hendiadyoin: 2,8,33sq.; *cf.* Rothstein *I.* 265, H.-Sz. 782sq.

herba: mala . . herba *i. q.* herba inutilis nocensue: 2,6,36.

heteroclita: a) *substantiua praeter nom. propria*: buxum 4,8,42; carbasus alba 4,11,54; carbasa (-orum) 4,3,64; *cf.* Phoc. gramm. V 426,14 K.; clatra 4,5,74; *cf.* Cap. gramm. VII 108,16sq. K.; colus (-ūs *s.* -ī; *cf.* Neue-Wagener I<sup>3</sup> 771): *abl.*: colo 4,1,72; 4,9,48; costum (κόστος, *cf.* Neue-Wagener I<sup>3</sup> 796): costum molle 4,6,5; delphinus 2,26,17; delphinum (*gen. plur.*)

3,17,25; *cf.* Verg. Aen. 9,119; *uide Neue-Wagener I*<sup>3</sup> 493; exuuium 4,10,6; exuuiae 2,14,28; 4,1,116; 4,8,63; 4,11,43; *cf.* Neue-Wagener I<sup>3</sup> 694; frena 3,19,3; 4,8,22; *cf.* Sommer 335; insomnium (*insomnia portet: acc. plur.*) 2,25,47 *i. q.* insomnia (*fem. sing.*) sine ulla significationis diuersitate usurpat poeta: loca 1,18,1; 4,9,25 et locos 4,8,22; *cf.* Rasner 58; demissae . . sertae 2,33,37; mollia . .serta 3,1,19; *cf.* Neue-Wagener I<sup>3</sup> 711. 819; sibila (*acc. plur.*) 4,8,8; tergus: tergore 2,26,6; *sed nouies tergum legimus praeterea iuuenta et iuuentus, senecta et senectus occurrunt b) nomina propria*: Cambysae (*gen.*) 2,26,23; *cf.* Apul. flor. 15,56; Dulichiae (*gen.*) 2,14,4; Δουλίχιον Hom. *passim*; *cf.* B.-B. 215; Ismara (-orum) 3,12,25; *cf.* Strab. 7, frg. 44 Ἴσμαρος . . καλεῖται δὲ ὄν Ἴσμαρα de Anienus (*subst.*) 4,7,86 *uide sub uoce adiectiuum c) adiectiuum*: exanimis: exanimem . . Achillem 2,9,9; *cf.* Neue-Wagener II<sup>3</sup> 152sq. de uocibus heteroclitis *uide Leumann Laut- und Formenlehre* 448-452.

heu: *ad sententiam efficacius exprimendam, sine doloris significatione*: heu quantum 2,29,30; heu nullis 3,15,6; heu quali 4,1,40; *cf.* Fedeli 86 *uide sub uoce interiectiones.*

historia *i. q.* historia fabularis uel femina fortissima historiae fabularis: uti fieres nobilis historia 1,15,24 (*cf.* Dombart *ALL* 3 [1886] 230-235); historiae tempora nota suae 4,7,64; *cf.* I. Mariotti, *Studi luciliani, Firenze* 1960,75.

homoeoteleuton: Tyrrhena . . harena 1,8,11; absentii . . uenti 1,17,5; *sim.* 2,14,10; *cf.* Neumann 73, H.-Sz. 706 et ind. metr. *sub uoce uersus leonini.*

hostis *i. q.* aemulus 1,11,7; *cf.* Ouid. am. 1,19,18. 26; 2,12,3; epist. 6,82; 12,182; rem. 792.

humus *i. q.* inferi (*cf.* χθόνιοι) *s.* inferorum iudices: 4,11,100.

hypotaxis: *uide sub uoce* coordinatio.

hysteron proteron: nil agis 2,32,19; *cf. Neumann 50, Hofmann Umg. 124, H.-Sz. 698sq.*

iacere *i. q.* soli amori deditum uiuere: 1,6,25 (*cf. nequitiae 1,6,26*); *sim.* 1,9,3; *uide E. Reitzenstein Wirkl. 83sq.*

ignotus *i. q.* inconsuetus: 1,3,20; *cf. Housman, Manilii Astron., III, Cambridge 1937<sup>2</sup>, I.*

imitari alqm. (2,34,31) *i. q.* alicuius exemplum sequendo materiam quandam de integro componere: *cf. Maass Herm. 31 (1896) 418.*

immeritus: *ui actiua usurp.*: 2,4,3; 2,25,18; 4,3,19; 4,4,23; 4,5,16.

imperatiuus: a) *imperat. II pro imperat. I:* me .. uocato 3,13,45; spectato 4,5,53 b) *imperat. I cum imperat. II coniungitur:* 2,18,3sq.; 2,22,43; *cf. H.-Sz. 311* c) *imperatiuo interdum negatio ne additur:* ne desere 2,15,49; 2,16,7; ne dubita 2,20,14 d) *locutiones:* α) *i (s. ite) .. et (fortasse e sermone familiari petitum):* i quaeso et .. compone 1,9,13; *sim.* 2,29,22; 3,4,10; 3,23,23; *cf. Sh. Bailey 25* β) *parce c. inf. coniunctum:* parce mouere *i. q.* noli mouere 1,15,26; *cf. Thomas, Recherches sur le subjonctif latin, Paris 1938, 135; praeterea uide sub uoce* indicatiuus (d).

imperfectum: a) *formae (antiquitatem redolentes, fortasse metro iuuante usurpatae: cf. Leumann Kl. Schr. 144, Norden Aen. 255):* largibar 1,3,25; operibat 3,13,35; *cf. Varr. ling. 5,167; uide Sommer 522, Meyer-Lübke Gramm. d. rom. Spr. II 284* b) *dicebam (in praedictionibus) i. q.* dixi: 1,9,1; *cf. Ouid. am. 1,14,1; Sen. apocol. 12,2; Auson. epigr. 34,13 p. 324 Peiper et uide K.-St. I 124, H.-Sz. 317.*

impeetrabilis (*ui actiua usurp.*) 4,1,101.

in: a) *cum totus et cum locus coniungitur:* in toto .. anno 2,23,11; tota .. in urbe 2,26,22; *cf. 2,29,37; 3,11,72;*

4,3,31; in superis .. locis 2,28,50; in multis .. locis 3,15,40; *cf. 2,30,16* b) *hac praepositione cum abl. coniuncta causa quaedam significatur (cf. H.-Sz. 126):* in puero 2,4,18; in ira 2,9,35; in caeco .. motu 2,15,11; in te 2,20,11; *sim.* in irata 3,8,28; in Veneris tabula 3,9,11; in casta .. Galla 3,12,15; uesanum .. in uite 3,17,23; *cf. Bausch 20. 44, Friedrich Cat. 382, Rothstein I 140; uide sub uoce* ludere c) *in saepe desideratur apud uerbum ponendi:* tuis .. temporibus 1,3,22 (*uide Sh. Bailey 269*); *cf. 1,17,22; 2,6,28; 2,9,45; 2,16,3; 3,9,24; 4,10,28; cf. Bausch 13sq.* d) *in i. q.* apud: in herboso .. Apidano 1,3,6; externo .. in amore moras 1,3,44.

inclinare *i. q.* in peius mutare: inclinatae .. mammae 2,15,21.

indicatiuus: a) *positus pro coni. dubitatiuo:* quid faciet .. puella 3,12,17 b) *ind. futuri interdum coni. potentialis uices tenet:* labentur 1,15,29; poteris 1,17,11; dicet 4,7,38; erit 4,8,32 c) *ind. positus in sententia interrogatiua, quam uocant indirectam:* increpat 1,17,6; uiuret 2,34,78; *cf. Norden Aen. 328; indicatiuum cum coni. mixtum legimus:* aspice, quid .. inuenit .. arserit 2,16,29sq.; *cf. H.-Sz. 539; eundem usum habes:* 2,30,29sq.; 2,34,34sq.; 3,5,26sq.; *qui usus priscae linguae est et postea in sermone cottidiano occurrit: cf. A. F. Brännlich, The Indicative in the indir. Question in Latin, diss. Chicago 1920* d) *ind. futuri pro imperatiuo inuenitur:* seruabis 1,20,51; dabis 2,5,3; *cf. 3,18,20; uectabere 3,3,39; uenies 3,23,15; spatlabere 4,8,75; cf. H.-Sz. 311.*

infernus *i. q.* inferi: 2,1,37; 2,28,49; *cf. Widder BPhW 1908, 541sq.*

infinitiuus: *forma: inf. praes. pass. (priscae linguae usum redolens):* torquerier 3,6,39; *cf. Leumann Laut- und Formenlehre 581, Sommer 594.*

- syntactica*: a) *hisce adiectiuus additur inf.*: audax .. leges imponere 4,5,13; cupidus .. attingere 1,19,9; facilis 1,11,12; 2,21,15; 4,8,40; inops 2,10,23; lassus 2,13,28; nescius 1,16,20, *al.*; *cf. Uhlmann 49, H.-Sz. 350sq. 378* b) *inf. praes. pro inf. perf.*: integer esse 3,6,40; *cf. B.-B. 275* c) *inf. perf. pro inf. praes.*: domuisse 1,1,15; nocuisse 2,19,32, *al.*; *uide Wackernagel Vorles. I<sup>2</sup> 260sqq., Norden Aen. 147, Tränkle 13* d) *inf. uariat participio*: tauros spectabis arantes et uitem .. ponere comas 2,19,11sq. e) *inf. exclam. (s. indignantis)*: 2,30,19-22; *cf. H.-Sz. 366* f) *omittitur inf.*: *uide sub uoce ellipsis (b), acc. c. inf. et iubere.*
- ingemescere *c. dat. coniunctum*: Arcadiis rupibus ingemuit 1,1,14.
- ingerere alci. *i. q. saepius commonere alqm.*: 4,5,35; *uox uulgaris: cf. Petron. 36,7; uide Neumann 69, Tränkle 134.*
- iniuria *i. q. animus durus*: 1,18,23; *cf. R. Reitzenstein Spr. d. lat. Erotik 34.*
- integer *i. q. castus s. abstinens* 3,6,40.
- interea *ui aduersatiua usurp.*: 3,1,39; *cf. Catull. 101,7.*
- interiectiones: ah (a) 24ies; ei 1,3,38; 4,1,58; 4,8,48; heu 11ies; *uide sub uoce heu et genitiuus (l)*; eheu 2,24,26sq.; o 33ies; pro 2,9,28; ecce 1,9,3; 2,29,20; 3,24,15; 4,7,59; *cf. Köhler ALL 5 (1888) 16sqq.; en 1,1,21; cf. Hofmann Umg. 35.*
- interrogatio: a) *interdum particula non pro nonne legitur*: 2,3,23; 2,8,21; 2,16,3; *cf. H.-Sz. 462.* b) *de interrogatione indirecta uide sub uoce indicatiuus (c).*
- ire: a) *de quouis meandi modo, etiam de uolando fluendoque*: uento quolibet ire 1,8,4; funibus ire rates 1,14,4; ire .. uidit aues 4,6,44; lacrimas uidimus ire 4,11,60 b) *i. q. discedere (euadere) s. esse*: non tutior ibis 2,34,45 c) *i. q. mori*: euntis 4,7,23; *cf. Liu. 1,26,4 sic eat* d) *nota*: ire uias 1,1,18; *cf. 1,8,30; 1,20,18; 4,1,36; Prisc. gramm. III 283,6 K.*

- iste: *c. quodam contemptu*: 1,6,23; 1,8,3; 1,9,32; 2,9,1; 2,24,30; 3,19,2, *al.*
- ita *ubi tam exspectes*: 1,18,14; *cf. ThLL VII 2, 520, 51sqq.*
- iter (ἔρωτικῶς): *ter faciamus iter i. q. ter uoluptate amatoria fruamur* 2,33,22; *noscere amoris iter* 3,15,4; *cf. 3,10,32; uide sub uoce uia et cf. E. Reitzenstein Wirkl. 54.*
- iteratio: *uide sub uoce uocum iteratio.*
- iubere *c. infinitiuo coniungitur*: iussit .. habitare 2,13,4; iubet .. tollere 2,16,18; iubet .. propellere 2,29,11; *cf. imperat .. mutare 4,8,85.*
- iugum *translate i. q. iuncti boues*: 3,5,5.
- iura puellae *i. e. iura, quae puellis sunt (iura muliebria)*: 1,9,3.
- iurare *c. acc.*: 1,15,35.
- iurgia *i. q. irae s. iracundiae*: in iurgia uertere (*i. q. exacerbare*) 3,8,19.
- labi: a) *i. q. relabi s. retro fluere*: labentur flumina ponto (= ex ponto) 1,15,29; *cf. Verg. buc. 1,63; Aen. 8,664* b) *i. q. peccare s. cadere* 1,11,15; *cf. Verg. Aen. 4,22; Val. Fl. 7,175; uide sub uoce euphemismus.*
- labor est *c. inf.*: 1,1,20; *cf. Draeger II 362.*
- lactens (*de herbis usurp.*) *i. q. sucum lacteum habens*: lactenti .. fruge 4,2,14; *cf. Verg. georg. 1,315 et uide Fedeli 110.*
- lacus *i. q. lacuna s. palus*: lacu (= e lacu) 2,23,2; sicco uilior .. lacu 2,14,12.
- lapis: a) *sacer .. lapis* 1,4,24; *cf. Xenoph. mem. 1,1,16, Tib. 1,1,11, Ouid. fast. 2,641* b) *ultimus .. lapis i. q. cippus* 1,17,20.
- lentus *i. q. amore non incensus* 2,14,14; 2,15,8; 2,33,25; 3,8,20.

leuis *praedicatiue usurp.*: 1,18,11; *uide sub uoce* adiectiuum.

lingua *i. q.* eloquentia 3,21,27; *cf. H.-Sz. 778.*

litare *c. acc.* 4,1,24.

litotes: non aliena 1,8,18; non nihil . . gaudet 1,12,16; non tepidas . . faces 1,13,26; non ignota . . nequitia 2,5,2; non nihil 2,13,42; *cf. Hofmann Umg. 147sqq., H.-Sz. 777-779.*

locatiuus: Praenesti (*forma abl. localis, ut uidetur*) 2,32,3; *cf. Leumann Laut- und Formenlehre 426, Sommer 378; sed Tibure (-ri N F L P) legis: 3,16,2; cf. Sommer 378 uide sub uoce* ablatiuus (*formae, c.*)

locus: *uide sub uoce* in (a).

loqui *i. q.* praedicare: 4,11,30.

ludere *amatorie* (*cf. παίζεν*): 2,15,21; 2,18,24; (Thais) in qua populus lusit 2,6,4; *cf. ardet in . . Briseide Ouid. am. 1,9,33; sim. Catull. 64,98; uide sub uoce* in (b); *cf. Pichon Ind. uerb. amat. 192.*

lux: mea lux (*de puella amata*) 2,14,29; 2,29,1; *haec uox e sermone communi in poesin amatoriam est recepta; sim. (mea) uita; uide sub uoce* caput et uita.

mage uel magis *i. q.* potius: 1,4,4; 1,11,9; 2,3,53; 2,13,5; 2,14,19; 4,8,16; *cf. ThLL VIII 1,58,25sqq.*

manus (*plur., metonymice*) *i. q.* artificia, opera arte facta: 3,21,30; *cf. Stat. silu. 1,3,47; Mart. 4,39,3; sim. χερσες Herond. 4,72.*

Mars *i. q.* sanguis: 3,3,42.

memor *i. q.* μνήμων: memorem Musis (*abl. instr.*) . . Philitan 2,34,31; *cf. Ouid. met. 5,268 Mnemonidas (i. e. Musas Heliconias): uide Maass Herm. 31 (1896) 432sq.*

minister *i. q.* seruus: meo . . ministro (*i. q.* officium facienti; *cf. B.-B. 227*) 2,22,39; *hanc uocem non sensu obsceno intellegendam esse docent uersus 23sq. et 40.*

minus (4,1,33): *uide sub uoce* ablatiuus (*compar.*).

miser: a) *i. q.* amore (*uel felici uel infelici*) incensus: 1,1,1, *al.; cf. Svennung Catull's Bild. 124* b) *praedicatiue usurp.*: miser aera paro 3,5,6; *sim. 3,7,7. 61; uide sub uoce* adiectiuum.

modo . . et . . etiam: 1,1,11-13; modo . . rursus et: 1,3,41sq.; *cf. H.-Sz. 521.*

mollis *c. dat.*: 1,7,4; 3,15,29.

mors *i. q.* corpus mortuum 2,13,22; *cf. funus 1,17,8.*

mortuus *i. q.* amore deperditus: Lycoride Gallus mortuus 2,34,91sq.

mundus: a) *i. q.* orbis terrarum: mundi . . manus 4,6,19 b) mundos *i. q.* mundi partes 4,3,37; *cf. B.-B. 340.*

mutare *i. q.* corrumpere: 1,4,2; 1,12,11; 1,18,9, *al.*

namque *secundo loco*: 4,1,57; 4,7,3.

nē: a) *uerbum timendi simul audiendum est hisce locis*: obstupui . . ne 1,3,28sq.; tabescet . . ne 3,12,9sq.; *cf. flemus . . ni 2,7,2sq.; H.-Sz. 535; uide sub uoce* nī b) *uide sub uoce* negationes.

nedum: *in enuntiatis positiuis*: 1,4,9; 1,9,32; *cf. Pascucci SIFC 33 (1961) 147, H.-Sz. 618.*

negare: *uide sub uoce* admittere.

negationes: a) uix = non: *uide sub uoce* uix; nec minus = nec non 1,3,5; 1,15,7; 2,32,59; *cf. Löfstedt Synt. I<sup>2</sup> 353sq., H.-Sz. 455; nec . . neue 1,8,11sq.; cf. H.-Sz. 517; neque = ne quidem 2,29,26; cf. H.-Sz. 450; neque . . aut 4,1,103; cf. H.-Sz. 522* b) *sermonis cottidiani est negationes cumulare*: nulla neque (nec) . . nec pro nulla aut . . aut 2,19,5sq.; 3,13,23sq.; *uide etiam sub uoce* geminatio c) *uariatas neg. legis*: non si . . nec si . . nil 2,30,3sq. d) *negatiuam comprehensionem sententia positiua sequitur coniunctione et uel-que adnexa*: 1,4,23sq.; 1,16,11sq.; 4,1,17sq.; *cf. ThLL II 1571,21sqq., H.-Sz. 500* e) *insolitam di-*

- cendi rationem dispicis*: semper . . non nostis (*i. q.* numquam scitis) 2,28,13; *cf. Wackernagel Vorles. II<sup>2</sup> 274, H.-Sz. 453.*
- nequitia *i. q.* uita desidiosa hominis amori immodico dediti 1,6,26; 2,5,2; 2,24,6; 3,19,10; *cf. Pichon Ind. uerb. amat. 202, Axelson Unpoet. Wört. 104.*
- nī *forma prisca pro nē*: nī nos diuideret 2,7,3; *uide sub uoce nē* (a); *cf. Neumann 39, Norden Aen. 232sq., H.-Sz. 535.*
- nimum *ui augendi usurp.*: nimum placata 2,33,21; *cf. Verg. georg. 2,458, Aen. 4,657.*
- niti (nixā) 1,16,42; *uide sub uoce uerbum* (b).
- nomen *i. q.* gloria s. laus: nomen carminis 1,7,10; nomen Homeri 2,1,21; *cf. nomen habere* 1,4,8.
- nominatiuus: a) *formae: α) decl. II: formae Graecae*: lotos 3,12,27 (*sed crystallus* 4,3,52); Isthmos 3,21,22 (*cf. 3,22,2*), Oricos 1,8,20, Tyros 3,13,7 (*sed Argus* 1,3,20, Amphiarāus 3,13,58, Parnasus 3,13,54, *al.*) β) *decl. III: formae Graecae: sing.*: Amphion 3,15,42, Arion, Chiron, *al.*; crater 3,17,37; Colchis 2,1,54, Inachis, Leucippis, Minois, *al.*; *plur. in -ēs*: Ne-reides 2,26,15, Panes 3,17,34 b) *syntactica: α) nom. praedicatiuus non sine effectu poetico positus pro datio finali*: damnū 4,11,43; *cf. Löfstedt Synt. I<sup>2</sup> 195sq., ThLL V 1,27,76* β) *nominatiuus cum infinitiuo*: 1,16,6; 2,9,7; 3,6,40; *cf. H.-Sz. 364* γ) *nominatiui uicem explet uocatiuus: uide sub uoce uocatiuus.*
- nondum etiam: 1,3,11; 2,10,25; necdum etiam: 1,9,17.
- non sic: *in fabulae initio*: 1,2,15; 1,13,21-23; 1,15,9sqq.; 2,6,1; 2,14,1sqq.; 2,20,5sqq.
- noster: *uide sub uoce pronomina.*
- notare (*absolute usurp.*) *i. q.* documento uel exemplo esse: 3,7,22.

- notus (*ui actiua usurp.*) *i. q.* insigniens (*sed cum liberiore ablatiuo*) 2,29,38 *uide etiam sub uoce genitiuus* (j).
- nullus: nullae = nulli, *uide sub uoce datiuus (formae, a)*; nullus *i. q.* tenuissimus s. ignobilis: nunc nulli (Gabi) 4,1,34; nullus (*e sermone cott., efficacius quam non*): 1,9,23; 1,17,7; 2,25,9; *cf. Hofmann Umg. 80, Neumann 68, H.-Sz. 295. 454; substantiue usurp.*: nullus liber erit 2,22,41 (*efficacius quam nemo*).
- numeralia: a) unus: *uide sub uoce* duo (*neutr.*) 2,22,41 *ac saepius*; duos 2,7,4; 2,26,30, *al.* b) uin-cula bina 4,8,80; *cf. Verg. georg. 1,172; Aen. 8,168; uide H.-Sz. 212; arma . . trina* 4,10,2 c) semel (*ut in sermone familiari sensu indefinito usurpatur*: lumina capta semel 2,30,10; cum semel 4,11,3; *cf. H.-Sz. 626; quoniam semel* 1,13,33; ut semel 1,15,20; *cf. Plaut. Merc. 618; Most. 471 et uide H.-Sz. 636; terque quaterque* 3,7,6 (*cf. Hom. Od. 5,306, Verg. Aen. 1,94*); ter quater 3,12,15; bis denos . . annos 2,9,3, *sed bis sex* 2,20,7; 3,6,40 d) *distributiua pro cardinalibus (cf. Neue-Wagener II<sup>3</sup> 331, H.-Sz. 212sq.)*: bina . . uada 2,1,22; *cf. Ouid. ars 2,72; iugera terna* 4,10,26; *cf. Ps. Tib. 3,7,112; centenis . . alis* 4,6,47; *cf. Verg. Aen. 10,566; septenas noctes* 2,16,23; septenas . . uias 3,22,16; *cf. Verg. Aen. 8,448* e) *cardinalia pro distributiuis*: una decem 4,6,68, *al.*; *cf. H.-Sz. 213* f) *pluralis legitur sermonis cottidiani usum redolens*: inter utrosque (*de duobus hominibus*) 1,13,20; *cf. Wackernagel Vorles. II<sup>2</sup> 123sq., H.-Sz. 201* g) *uide sub uoce totus.*
- numerus substantiuorum: *uide sub uoce pluralis numerus et singularis numerus.*
- nunc: *uide sub uoce antithesis.*
- nympha *i. q.* aqua (lympha): 2,32,15; 3,16,4; 3,22,26; *cf. CIL 8,2662.*
- obiectum: (*plerumque pro subst. c. praepos.*) *hisce uerbis sermonis cottidiani ritu additum legis*: clamare

- 4,8,58; loqui 4,11,30; narrare 2,28,46; referre 3,9,39; sonare 4,9,13.
- odisse alqm. *i. q.* alqm. aspernari uel repudiare: 1,1,5; 2,26,25; 3,8,27; *cf.* Hor. *carm.* 1,38,1.
- officium *amatorie de amoris gaudiis*: officium .. ualere meum 2,22,24; *cf.* Ouid. *am.* 1,10,46; 3,7,24; *uide sub uoce* respondere.
- omnis: ex omni *i. q.* undique (= omnino *s.* prorsus) 3,21,6; *cf.* ex toto Ouid. *Pont.* 1,6,28; *uide Wölfflin ALL 4 (1887) 144sq., H.-Sz.* 266.
- onus *i. q.* molestia *s.* incommodum: 2,24,40.
- operatum esse (*s.* operari) *i. q.* res diuinas procurare *s.* feriari 2,28,45; iam .. est operata = operari coepit 2,33,2; *cf.* Rothstein I 392, E. Reitzenstein *Wirkl.* 53.
- oppositio uerborum: *uide sub uoce* antithesis.
- opprobrium: opprobria *i. q.* imbelles milites Cleopatrae 3,11,29.
- optatus in sermone amatorio plerumque *ui adiectiua usurp.*: 1,13,17; 1,14,9, *al.*; *cf.* Catull. 64,141. 328.
- opus est *cum genit. coniunctum*: magni .. erit oris opus 2,10,12; *cf.* Marx *ad Lucil. frg.* 335, Wackernagel *Vorles.* I<sup>2</sup> 65, H.-Sz. 83.
- ossa *i. q.* manes: 4,11,20. 102.
- oxymoron: respondes tacitis .. cardinibus 1,16,26; pulcherrima cura 2,25,1; *cf.* Lopez *GIF 22 (1970) 86-91.*
- pallidus in aliqua *i. q.* aliquam perditte amans: 3,8,28; *cf.* Ouid. *ars* 1,731.
- par *i. q.* concors: 1,5,2.
- parataxis: *uide sub uoce* coordinatio.
- paratus (ἑρωτικός): 1,9,25; *cf.* Ouid. *met.* 5,603, Petron. 130,5, Priap. 46,7 B.
- parenthesis: a) *tristi recordatione allata*: 1,22,6-8; *cf.* Catull. 65,4-15 (*uide Kroll Cat.* 197) b) *aliae pa-*

- renth. longiores*: 2,3,10-12; 4,8,9-14; *de parenthesi quadam, quae exstat in 4,3 (scil. uu. 2-62), cf. E. Reitzenstein Wirkl. 34 adn. 41* c) *breuiiores parenth. legis*: testor te 2,16,25; tenuit namque Creusa 2,21,12; haut multo minus est 3,15,7; uera fatebor 3,24,12; dixere Parilia patres 4,4,73; *praeterea uide 2,12,22, H.-Sz.* 729.
- paronomasia: *uide sub uoce* annominatio.
- pars: in partes esse (*uox sermonis famil.*) *i. q.* in partes ire: 3,9,60; *cf.* Fraenkel *Gn 2 (1926) 530sq.*
- participium: a) *forma rarior*: imposta 4,2,29; *uide sub uoce* syncope b) *part. praes. ui substantiua usurp.*: sonantia *i. q.* loca sonantia 4,9,35; *cf.* Ouid. *met.* 5,405sq. *et uide Fedeli 227, H.-Sz.* 156 c) *part. praes. cum esse coniunctum (constructio periplur.)*: sint ora fauentia 4,6,1; *cf.* Cic. *nat. deor.* 2,21, H.-Sz. 388sq. d) *part. praes. ui reflex. (mediali) usurp.*: uolutantis .. duos 2,29,36; *uide sub uoce* uolutari; *cf. etiam Wackernagel Vorles. I<sup>2</sup> 122sq.* e) *part. perf. pro part. praes.*: munera .. uoluta 1,3,26; *cf. H.-Sz.* 391; *sim.* auecta 1,2,20; locuta 1,15,12; *cf. etiam 4,1,104; 4,3,13; 4,11,68 et uide Wackernagel Vorles. I<sup>2</sup> 287-289, Tränkle 5* f) *haec part. actiua ui usurp.*: assuetus 4,3,53; concretus 4,8,41; iurata 1,8,27; *cf.* Charis. *gramm.* I 262,11 K.; meritis 2,29,13, *al.*; inmeritis 2,4,3; 4,3,19, *al.*; nupta 2,16,30; 4,11,36; potus, praeteritus g) *part. uerborum depon. ui passiuua usurp.*: mercato .. cultu 1,2,5; mercato pace 4,5,32; *cf.* Sall. *hist. frg.* 5,9 M., *ThLL VIII 5,799,43*; obliro .. amore 1,19,6; *cf.* Verg. *buc.* 9,53; sedes .. sortita 4,7,55; sortita .. pila *i. q.* iudicum sortitione facta 4,11,20; *uide Neue-Wa-gener III<sup>3</sup> 57sq., K.-St. I 111, Tränkle 63.*
- paruus *i. q.* paucus: sanguine tam paruo 3,16,19.
- passiuum: *uide sub uoce* participium (e-g) *et* uerbum.
- penitus *c. comparat.*: penitus crudelior 1,16,17; *cf.* Neumann 33, H.-Sz. 167.

- pennae (*pars pro toto*) *i. q.* aues: felicibus edita pennis *i. q.* felicibus nata auguriis 3,10,11.
- percontari: percontere licet 2,22,23; *cf. Hofmann Umg. 156 et Marx NJ 1909, 438.*
- perfectum: a) *formae: de terminatione -re = -runt aliisque formis uide sub uoce uerbum de formis contractis uide sub uoce syncope et uerbum* b) *syntactica: perf. gnom.: patuit 4,11,101; cf. H.-Sz. 318 perf. ui praes. usurp.: est operata 2,33,2; cf. H.-Sz. 318 perf. pro fut. ex.: cum est imposta . . clamabis 4,2,29 coni. perf. ui potenciali usurp.: si dederis 2,15,50; si . . mouerit 2,30,4; cf. Sen. Troad. 1060, Mart. 14,89,2; uide Friedrich Cat. 112. 555 perfecti uice interdum plusq. fungitur: uide sub uoce plusquamperfectum; pro perfecto hic illic praes. legitur: uide sub uoce praesens.*
- perfundere alci. alqd.: perfusa . . unguenta capillis 2,4,5; *cf. Iuuen. 6,303, Apul. met. 6,21.*
- periphrasis: *uide sub uoce antonomasia.*
- perire *i. q.* pessumdatum esse: quīs . . nunc pereō 1,15,41.
- personificatio: *poeta nonnullis rebus quasi animam infundit uelut: ianuae 1,16,1sq., lectulo 2,15,1sq., linteis 3,21,13, mari 4,6,48, uelis 3,21,19sq., uesti 1,4,14; praeterea cf. me . . noctes, me sidera . . me dolet aura 1,16,23sq.; sollicito . . a Sipylo 2,20,8; sim. maerenti . . aqua 3,3,46; uide sub uoce apostrophe et cf. H.-Sz. 752sq.*
- perspectus *i. q.* probatus *s.* spectatus: 1,11,17; *cf. Cic. off. 1,149.*
- pertendere: animo pertendere *i. q.* pertinacem *s.* animi affirmati esse 2,15,17.
- placatus *ui adiectiua usurp. i. q.* comis *s.* benignus *s.* blandus: 1,14,23; 2,33,21; *cf. E. Reitzenstein Wirkl. 55.*
- plenus: a) *i. q.* largiter completus *s.* locuples: sidera plena 1,16,23 (*quia caelum plane iis tegitur*); flumina

- plena 1,20,43sq. (*de aqua, qua urna tota impletur*); pleno uellere 2,16,8; pleno . . candore 2,25,41; *cf. Löfstedt Coniect. 16sq.* b) *hoc adiect. poeta semper cum abl. coniungit: uide sub uoce ablatiuus (adiect. additus).*
- pleonasmus: qui numquam uacuo pectore liber erit 1,10,30; *cf. H.-Sz. 794; sim. 1,19,6; unde . . primum repetam? 1,18,5; cf. H.-Sz. 798; primum coepit 4,4,74; saepe soles 1,13,1 repetitur substantiuum apud pronomen relat.: litora 1,11,28sq.; cuspidē 2,1,63sq.; cf. H.-Sz. 563sq. pronomen poss. praeter necessitatem (sed non sine effectu quodam poetico) additum legis: suis . . ocellis 1,1,1; sua carmina 1,2,27; suis . . fletibus 1,4,23; tuae . . culpaē 1,5,25; tuo . . fastu 1,7,25; uotis . . meis 1,10,4, *al.*; *cf. H.-Sz. 179. 772-776 abundat substantiuum, cui partic. adiunctum est: soror 2,14,6; mons 3,13,53 interdum tota sententia occurrit repetita uelut: 2,23,23sq.; 2,24,36sq.; sim. 2,8,27sq.; 2,18,29sq.; cf. Hofmann Umg. 96sq. uide sub uoce anaphora et geminatio.**
- pluralis numerus (*haud raro metri causa pro sing. positus*): a) *subst. concretorum: antra 3,3,14; aera 3,5,6; 4,5,50, al.; latices 2,26,47; niues 1,8,8 (cf. Löfstedt Synt. I<sup>2</sup> 34); 3,13,54; pruinas 1,8,7; cineres, harenae, hederæ, murmura; sales 3,21,28; saliuæ 4,7,37; tura 2,10,24; 2,19,13; uina 1,14,2; cf. Maass ALL 12 (1902) 483, Löfstedt Synt. I<sup>2</sup> 48* b) *subst. abstractorum: auxilia 1,1,26; calores 1,12,17; furores (i. q. amoris aestus) 1,5,3; libidines 2,16,14; lucra 2,3,53; 4,3,62; metus 4,6,50; ortus 4,3,7; otia 4,4,79; somni sexies; insomnia 2,25,47; taedia 1,2,32; timores 1,3,29; usus 4,2,63; cf. Rasner 55, H.-Sz. 18* c) *nominum propriorum: Illyriae 2,16,10 (fortasse de Romana et Graeca Illyria cogitandum; cf. Illyria 1,8,2); Ismara 3,12,25; cf. Lucr. 5,31, Verg. georg. 2,37; Misena 1,11,4; Palatia 4,1,3 (de templo); 3,9,49 et 4,9,3 (de monte Palatino); cf. Neue-Wagener I<sup>3</sup> 599*



- et G. Schink, *De Romanorum plurali poetico, Ienae 1911*, 97; Pergama 2,1,21; cf. *Neue-Wagener I*<sup>3</sup> 721, H.-Sz. 19 *huc addere liceat*: longas .. Iliadas *i. q.* certamina Veneria 2,1,14 *uide Maas ALL 12 (1902) 479-550, Löfstedt Synt. I*<sup>2</sup> 27-74; cf. *sub uoce heteroclitica et singularis numerus.*
- plusquamperfectum: *formae: uide sub uoce uerbum (a) plusq. pro perfecto (cf. H.-Sz. 320): fuerant 1,11,29; fueram 1,12,11; 1,16,1; fleuerat 1,15,10; 1,20,16; sederat 1,15,12; uenerat 1,19,10; fuerant 2,29,7; fuerat 3,8,1; palluerant 4,8,54; exciderant 3,24,20; 4,7,15; cf. etiam 1,10,2; 2,2,14.*
- pomifer: Anio pomifer 4,7,81; cf. Ouid. am. 3,6,46; *sim.* Ouid. met. 1,579.
- pondus habere *i. q.* non sine grauitate (*s. magni momenti*) esse: 3,7,44; 4,7,88; *locutionem rhetoricam nec non cottidianam habes; cf. Cic. fam. 13,17,3.*
- ponere *i. q.* disponere: positus .. poetis 4,6,75; cf. *Fedeli 185.*
- postquam *c. ind. plusq. coniunctum*: postquam .. uicerat 4,9,63; cf. Verg. Aen. 11,94; *uide H.-Sz. 598.*
- pote = potest: 2,1,46; 3,7,10; cf. *Sommer 305. 531sq.*
- potiri: poterentur 2,9,26; cf. Ouid. met. 14,641; Liu. 7,9,7; *uide Neue-Wagener III*<sup>3</sup> 257, *Sommer 505.*
- praemium: a) *i. q.* praeda: sum .. praemia (*uox sermonem cottidianum redolens*) 2,4,15; cf. *Neumann 70; sim. 2,30,22; 3,13,46; uide Hofmann Umg. 194* b) praemia *i. q.* opes: nulla .. praemia 1,14,16.
- praepositiones: *haud raro praepositio ad uel prope exspectatur, ubi poeta solo ablatiuo utitur uelut*: nostro reticere sepulcro 1,7,23; abiectus Tiberina .. unda 1,14,1; cf. *etiam 2,13,55; 2,26,57; 4,3,10; 4,4,3; 4,11,64; uide Bausch 8, Rothstein I 75* *postponuntur ad (4,7,4), circa (4,6,6), inter (2,28,29), penes, al. praepositionem a substantiuo suo seiunctam legis*: ad ..

- montes 4,9,3 (*cf. Friedrich Cat. 164*); imos ante .. pedes 2,10,22; uelocis .. per .. iactus 3,14,5; tuam propter .. salutem 2,9,25; subter .. arma 3,4,18; cf. *H.-Sz. 693* *praepositio et subst. in diuersis uersibus leguntur*: 1,21,9; 4,2,3 *nota*: cum quo 1,6,3; cum quibus 2,32,39 *praeterea uide sub uoce a (ab), de, in, sub, ulterius.*
- praesens: *formae: uide sub uoce uerbum (a) a) praes. (historicum) pro perf. in feruidiore oratione legis*: narramus 2,15,3; mutamus 2,15,9; cf. *etiam 2,8,1; 4,1,77 et uide H.-Sz. 305sq. sim. in enuntiato relatiuo*: flemus 2,7,2; cf. Verg. Aen. 2,275; 9,266; *uide B.-B. 202* b) *praesens pro futuro*: 1,4,16; cf. *H.-Sz. 308sq.*; 3,4,15; cf. *H.-Sz. 313* c) *praesens futuro uariat poeta*: non est contraria .. dabit 1,5,9sq.; cf. *H.-Sz. 308*; patiar .. mutat 2,24,39; cf. 2,24,50sq.; 3,21,17-21.
- prolepsis: humus formosa 1,2,9; uacuos .. ocellos 1,9,27; blandis .. Nymphis 4,4,25.
- proludere (*scil. ad pugnam*): 4,4,19; cf. Verg. Aen. 12,106.
- pronomina: a) *formae*: tute 3,14,25; *de pron. adiect. datiuo nullae (1,20,35) uide sub uoce datiuus (a)*; quis = quibus: cf. 1,8,42; 1,15,41; 2,34,88; *uide Leo Sen. I 213, Plaut. Forsch. 316 adn. 1* b) *praeterea haec notanda uidentur*: aliquis: α) *post si (sin)*: aliqua 2,14,31; aliquem 4,9,45; (si forte) aliquid 2,22,11; aliquid 2,34,53; 4,6,81 β) *post ne (neue)*: 3,12,13 *hic usus partim metri commoditate potest explicari uide sub uoce aliquid* hic: α) *saepe pro is legitur*: 2,9,23; 2,18,22; 2,26,30, *al.*; cf. *Löfstedt Peregr. Aeth. 91sq., H.-Sz. 181* β) *substantiue usurp.*: haec .. haec (*persona quaedam opponitur personae*): 3,3,35 quis: α) *interr. subst.*: quo (= qua femina) pears 1,9,34 β) *interr. adiect.*: quis deus 3,5,26; cf. *Löfstedt Synt. II 79sq.* *ecquis*: ecquis .. locus 1,11,6; *ecquid (acc.*

*aduerb.*) 1,11,1; *cf. Rasner 60sq., H.-Sz. 464*; muneris *ecquid* 2,23,8 *cf. ecquandone* 2,8,15 *quicumque*: α) *sensu indefinito usurp.*: quodcumque 2,1,15; *sim.* 2,20,13; 2,21,19 β) *quicumque pronomine qui continuatur*: quascumque .. quoscumque .. quosue 2,16,43sq.; *cf. Catull. 64,280-282; Sen. Agam. 142* γ) *quaecumque ui quadam concessiua usurp.*: 1,21,9; *cf. Pasoli Monob. 134sq.* δ) *quicumque interrogatiua ui usurp.*: 1,10,19; *cf. H.-Sz. 541* quisquam *ui adiectiua usurp.*: 4,7,13; *cf. Uhlmann 86* quisquis *sensu indefinito usurp.*: 2,1,15; *cf. H.-Sz. 201*; *eadem ratione usurpantur* qualiscumque 3,1,30; 3,21,16; 3,23,9 *et ubicumque* 1,20,10; *uide sub uoce* quicumque (a); *cf. H.-Sz. 202* c) *addantur nonnulla de notione*: α) *premeret mihi somnus ocellos i. q. ocellos meos* 1,10,7; *mihi .. sub tecta = sub tecta mea* 1,14,11; *sim.* 1,19,3; 2,5,21 β) *cui non .. aspergat tempora sudor i. q. cuius tempora* 2,24,3; *cui .. frontem* 3,11,15; *sim.* 4,2,61sq., *al.* γ) *sibi pro ei* 1,4,26; *cf. H.-Sz. 175* δ) *nostra Venus i. e. Venus dea, quam amantes colimus*: 1,1,33 ε) *nostri (= mei) memores* 1,11,5 ζ) *nostri sanguinis i. q. mei sanguinis* 4,6,60; *uide etiam sub uoce* pleonasmus η) *suus i. q. secundus*: 2,25,31; *cf. B.-B 233* *suus substantiui uice usurp.*: *ad latus .. suae* 3,14,22 θ) *uterque: uide sub uoce* numeralia (f) *uide etiam sub uoce* attractio.

*puella i. q. nympa* 2,26,14.

*quamuis*: a) *cum indic. coniunctum*: *quamuis .. dolor .. debet* 1,18,13; *praeterea hisce locis*: 2,8,27; 2,24,38; 3,19,28; *cf. H.-Sz. 604* b) *participio additum*: 1,15,13; *cf. H.-Sz. 385.*

*quando in sententia subordinata*: a) *ui temporali usurp.*: 1,10,25; 2,27,11 b) *ui causali usurp.*: 2,10,8; *cf. H.-Sz. 607.*

*quandocumque ui temporali usurp.*: 2,1,71; 2,13,17; *cf. H.-Sz. 308.*

*quanti (-ae, -a) i. q. quot*: *milia quanta* 1,5,10; *cf. H.-Sz. 207 et uide sub uoce* tanti.

*-que i. q. quoque*: 2,33,31; 3,1,35; 3,19,21; 3,21,16; *cf. H.-Sz. 475* *cum ui aduersatiua post enuntiatum negatiuum*: 2,1,25; 4,1,19; *cf. Fedeli 79.*

*quies i. q. nox*: *trahit .. quietem* 1,14,9; *cf. Verg. Aen. 1,748.*

*quoniam*: a) *i. q. quia*: 3,23,12; *cf. H.-Sz. 627* b) *i. q. idcirco*: 2,33,14; *cf. H.-Sz. 627.*

*ramus i. q. claua*: 1,1,13; 4,9,15.

*rarus i. q. singularis s. egregius*: *Cynthia rara (attrib.) mea (praed.) est* 1,8,42; *rara puella* 1,17,16.

*rectus*: *e rectis .. rotis* 4,10,42 *i. e. ex essedis, quae ipse regebat*; *cf. B.-B. 378.*

*referre*: a) *i. q. reddere*: 1,6,20; *cf. Verg. Aen. 8,560* b) *i. q. persaepe repetere*: 1,16,16; *cf. Rothstein I 163* c) *i. q. in memoriam reuocare*: 1,1,38; *cf. Ouid. rem. 308* d) *i. q. canere*: 1,16,16; *cf. ThLL III 470,21* e) *se referre i. q. redire*: 1,18,11; *cf. Catull. 107,5sq.*

*regnum*: *regna* 4,1,10 *i. q. regum sedes*; *cf. Friedrich Cat. 421.*

